

communicatorum. Benedictio sacri habitus virginum. Item super uestes viduarum, que castitatem profitentur.

DCCCXXXIII.

U. 672 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 109. 4. nitide a prima manu perscriptus et rubricis distinctus est alterum Exemplar Ordinis sue breuiarii de ecclesiasticis obseruationibus quid legendum et cantandum sit per circulum anni secundum patauensem ecclesiam; sed mature delatum Viennam, quae tunc huic Ecclesiae suberat, a secunda manu multas per margines Notas recepit, quibus subplentur, quae vel Passavii tardius ordinata sunt, vel quae Viennae in celebrandis Festis observabantur Sec. XV. in eunte. Ita fol. 35. p. 2. Notandum quod Reuerendus in christo pater et dominus Dominus Georius de hachloch (Hohenlohe) episcopus patav. vna cum venerabili suo capitulo Anno domini M°. CCCC. IV°. die mensis nouembris XII. pie statuit, ut omnes et singuli Presbiteri seculares cuiuscunque status gradus et conditionis existant, in ciuitate et dyoc. patav. vbilibet constituti deinceps singulis septimanis semel Sancti protomartiris stephani ecclesie patav. patroni officium diurnum et nocturnum cum IX. lectionibus solempniter perpetuis futuris temporibus sub sancte obedientie virtute peragere debeant, nisi impediret officii

um commemorationis beate marie virginis in Nycena synodo singulis septimanis statutum &c. De qua hic Synodo sermo fit, non video; in neutra enim Oecumenica aliquid eiusmodi statutum reperi Fol. 37. notatur: *Fit magnus conuentus ligonistarum an dem hoff.* Ad an. 1514. id pertinere censeo, quo mense Majo violentae Academicos inter et Vinitores urbis tunc adcolas vulgo Hauer rixae ferebant, ut refertur in *Conspectu Hist. Univ. Vien. Sec. II. p. 83. Fol. 67. p. 2.* ad Festum Theophoriae: *Missam tenetur officiare Abbas melicen. vel dignior post eum de professis suis, quod si non fecerit, tenetur capitulo certam penam solvere.* Eodem loco notatur, Ordinem Supplicationis ea die instituendae haberi in ultimo fol. Fol. 76. *Abbas de gleinck (Glunicensis O. S. B.) vel dignior post eum tenetur in vigilia Iohannis baptiste interesse vesperis et in die officiare priorem missam — sub pena XLII. Libb. que cedere debent canonicis et capellanis tunc presentibus, et hec pecunia debet dari de ecclesia in Hedershofen ob hoc eis data. Sed eodem die Missam publicam tenetur Abbas Chotwycen. vel dignior post eum officiare sub pena 2. marcarum puri argenti ad custodiam uel fabricam soluendarum. Item fol. 99. p. 2. In die sancti Martini prepositus de sancto Ypolito uel dignior post eum tenetur officiare et dare preposito nostro aureum anulum uel III. florenos. Et ita sparsim plura, quae demonstrant,*

2057

LITURGICI

2058

frant, Librum in ipsius tunc collegiatae ad D. Stephanum Ecclesiae usu fuisse. Ad calcem Salomo-

nis Regis magnificentia 15. versibus celebratur, qui exeunt:

*Uxores salomon septingentas habuisti,
Sed concubinas trecentas supposuisti.
Heu nimis a sola nunc vexamur muliere!*

In praemisso Ordine theophorico Opificum Sodalitia, quae praecedunt, *Czechae* vocantur, inter Religiosos comparent *de sancto Spiritu*, *Textunici*, *Johannite*, comparet item *Camisia sancti Georij*, quam an *Αερψαρον* aliquod Divi, an linteatum Capellae hujus, olim Aulæ *Frisinganae*, nunc abolitae Clerum interpreter, haereo.

DCCCXXXIV.

U. 9 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 150. f. magnifice scriptus et rubricis speciosus *Evangeliarium* est ita comparatum: *Incipiunt Capitula De Circulo Anni*. Index videlicet Evangeliorum hoc initio: *In Vig. Natal. Domini Secundum Mattheum*. Cum esset desponsata usque a peccatis eorum. *Ad Sanctam Mariam Maiorem De Noë. Secundum Lucam*. *Exiit edictum a cesare augusto. usque bonę uoluntatis*. Ita primo decurritur Calendarium ecclesiasticum Festorum de Tempore et Sanctorum adscriptis ubique *Stationibus*. *Sebastianus* et *Fabianus* diversa habent Evangelia. *Vincentius* item duo diversa. Dominicae post *Epiphaniam* numerantur X. in *Quadragesima* VI. nulla *Palmarum* facta mentione. Dominica in *Albis* appellatur *Octaua Paschę*, et *Pascha*

annotina post illam adsignatur. Dominica I. post *Pentecosten* absque mentione Trinitatis. A Festo *Petri et Pauli* numerantur Dominicae VI. post *Natalem apostolorum*, a Festo *Laurentii* VII. post *Natalem Sancti laurentii*. Die XV. Aug. habetur *depositio Sanctę Marię*. A Festo S. *Michaelis* ad *Aduentum* rursus numerantur Dominicae VII; post S. *Angeli & Aduentus* dominicae descendunt a V. ad I. ante *Natiuitatem Domini*. Dein sequuntur Evangelia in publicis Necessitatibus, in variis Ordinationibus. Distinctum Evangelium est *pro uelatione ancillarum dei* et *ad uelandam Maritatum*. Succedit *Commune Sanctorum*, et Evangelia: *In Agenda Mortuorum*. *In Aduentu Iudicum*. *In conuentu episcoporum*. *Contra Iudices male agentes*. *Contra episcopos male agentes*. *Pro iter agentibus*, et *Ad missam Uotiuam*. Totus hic Index per duas columnas rubro nigroque eleganter variat et evangelicorum *Capitum* citationes exhibet in Margine.

II. fol. 12. illum excipiunt non minus speciose descripti, picturaeque X. *Canones* illi harmonici Evangelistarum *Eusebii Caesar*.

III. fol. 20. Ineunt *Evangelia*, et primo quidem *Matthaeus*. Prae-